

- 34 In quantum hæresis continet recessum à dogmate Ecclesiæ, eatenus est crimen merè Ecclesiasticum.
- 35 Tale esse declaravit Bonifacius VIII.
- 36 Consonat unanimis Canonistarum sententia.
- 37 Concordata Brabantia iudicium de hæresi deferunt soli Episcopis, salvi tamen in aliquibus Principis auctoritate.
- 38 In Gallia simplex crimen hæresis spectat ad cognitionem iudicis Ecclesiastici.
- 39 Interdum annexum habet crimen privilegiatum, & eatenus spectat ad iudicem secularem.
- 40 Hæc distinctio circa crimen hæresis fundamento non caret.
- 41 Summa fuit jam pridem Principum cura pro excerpandis Hæreticis.
- 42 Hanc esse Principum obligationem astruit S. Augustinus.
- 43 Varia pœna à Principibus in Hæreticos decreta.
- 44 Iudicium S. Augustini de his pœnis.
- 45 Principum nostrorum Edicta contra Hæreticos remissivè.
- 46 Episcopis speciatim incumbit inquisitio in Hæreticos.
- 47 His adjuncti fuerunt speciales fidei Inquisitores.
- 48 Inquisitores hi in Hispania, Italia, aliisque Regnis receperunt.
- 49 Etiam in Belgio aliquando introducta fuit inquisitio.
- 50 Postmodum abrogata, & quare?
- 51 Quid proprie schisma?
- 52 Crimen schismatis quâ ratione Ecclesiasticum, & quâ ratione Civile?



I. Uid sit hæresis, & quid aliquem Hæreticum faciat, regulari aliqua definitione comprehenditur, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillimè potest, ait S. Augustinus libro De Hæresibus in Prefat.

Eandem difficultatem exaggerat in Epistola 122. ad Quodvuldeum (qui à S. Augustino librum De Hæresibus quæ hæcenus fuerant, scribi petierat) ubi narrat, quod Philastrius quidam Brixientis Episcopus scripsisset librum De Hæresibus, hinc numeraverit hæreses, quæ in populo Judaico fuerint ante Adventum Domini 28. & exortas post Domini Adventum 128. Epiphanius autem Episcopus Cyprius scripsit quoque librum de eadem materia, sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, 80. complexus est.

Post hæc subiungit Augustinus: Cum ergo ambo id velent facere quod à me petis, quantum tamen inter se differant de numero interim sectarum vides: quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, & aliud alteri. Neque enim putandum est, aliquas ignorasse Epiphanius, quas noverat Philastrius; cum Epiphanius longè Philastrius doctior in venerimus; ita ut Philastrius potius dicere debemus latuisse plurimas, si tamen plures essent complexus & iste pauciores. Sed procul dubio in ea quæstione, ubi disceptabatur, quid sit hæresis, non idem videbatur amobus, & reverè à omnibus definire difficile est: & ideo cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreses sint, aut annumeremus aliquas, cum hæreses non sint.

II. Hinc imprimis habemus, non tantum visum esse Augustino, difficile esse definire, quid sit hæresis, vel quis sit Hæreticus dicendus; sed etiam nonnumquam, minus doctum & instructum hæreses putare aut fingere, quas non esse hæreses doctior novit, uti in Philastrio & Epiphania contigit sic monet Augustinus.

III. Et S. Gregorius lib. 9. Epist. 39. scribens Theotiste Patriarchæ ait, quod sint multi Fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpe dum quosdam quasi Hæreticos insequuntur, hæreses faciunt.

IV. Arcadius Imperator sub finem sæculi 4. postquam jam varæ leges contra Hæreticos latæ essent, declaravit, qui Hæreticorum vocabulo contineantur; & latis adversus eos Sanctionibus debeant succumbere; nimirum, qui vel levi argumento à iudicio Catholice Religionis & tramite de-

secti fuerint deviare. Extat in L. 28. Cod. Theod. De Hæreticis. Et referuntur jam citata verba in L. 2. §. 1. Cod. Justin. eod. tit.

Hanc legem hodie inter celebratissimas esse in argumento de Hæreticis, & quæstionem capitalem decidere, scilicet definitionem Hæreticorum, & proinde hæreseos, rectè monet Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem in Codice Theodosiano.

V. Ubi etiam notat, quàm laudabile & Christiano Principe dignum fuerit hoc Arcadii consilium. Sæpe enim, dum in incerto vagantur criminum Interpretatores, luctuosa Regna, Resque publicæ tumultu, imò & Ecclesiæ colliduntur, atque innoxius sæpe sanguis effunditur: quod ne in veris quidem & agnitis Hæreticis Arcadius hujus legis Auctor unquam sustinuit.

VI. Vult ergo Arcadius, eos Hæreticos esse censendos, quia à iudicio Catholice Religionis & tramite detecti fuerint deviare.

Imprimis itaque inspiciendum, quid hic per iudicium Catholice Religionis & tramite intelligat Arcadius.

Indubie aliud noluit Arcadius, quàm deflectendum non esse ab eis, quæ ipsa Catholica Religio proponit, & iudicari esse credenda & tenenda.

VII. Cum autem Catholica Religio nihil aliud fide credendum proponat, nisi quod à Christo, vel scripto, vel verbo per traditionem Apostolicam accepit, videtur Arcadius hanc idem voluisse, quod jam antea ex mente suorum Prædecessorum dixerat Gratianus Imp. in L. 1. Cod. Nescientum Baptisma veretur. Ubi condemnans Anabaptistas live iterantes Baptismum ait: Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Evangeliorum & Apostolorum fides, & traditio incorrupta servavit. Quia nimirum Catholica Religio nihil aliud fide credendum proponit: & consequenter qui hæc tenet, à iudicio Catholice Religionis & tramite non convincitur deviare.

VIII. Quod tradidit hæc Imperatores, hodie & uno consensu tradunt Canonice & Theologice, dum ad hæresim requirunt deviationem ab articulo, quem Ecclesia seu Religio Catholica tamquam fidei articulum credendum ac tenendum proponit. Illud omne & solum est de fide Catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia Catholica fide Divinâ credendum, ait Doctissimus Franciscus Veronius in Regula Fidei Catholice cap. 1. §. 1.

IX. Nequaquam igitur sufficit, ut Hæreticis quisquam habeatur, eum deviare aut dissentire ab aliquo articulo, qui in verbo Dei continetur, nisi ipsum contineri, Regio five Ecclesia Catholica declaraverit; eumque tamquam à Deo revelatum; & consequenter fide Divinâ credendum proposuerit; uti rectè monet ibidem Veronius §. 2. quia revelatum quidem est in verbo Divino, sed quod interprete egeat, & necdum Ecclesia sensum verbi Dei seu scripti seu traditi aperuerit, sicque nondum definitur; & proinde nondum proposuerit, hoc vel illud esse fide credendum.

X. Hæc Veronius, qui ibidem §. 3. recenset multa, quæ ad certitudinem fidei non perveniunt, eò quod non contineantur in verbo Dei scripto aut non scripto: & §. 4. late ostendit, quibus non possit attribui certitudo fidei Divinæ; quia necdum sunt ab Ecclesia Catholica tamquam talia Fidelibus proposita.

XI. Post hæc descendendo ad particulares materias, examinat & segregat ea quæ fidei sunt ab iis quæ ad eam fidei certitudinem hæcenus non pertigerunt: idque eà eruditione & exactitudine, ut de hæc Regula Fidei pronuntiare non dubitarint Illustrissimi & Doctissimi Valenburchici; Estimamus hanc Tractatum adeò excellentem, ut merito plurimum fiat apud illos, qui operam salutarem impendunt reducendis errantibus ab hæresi & schismate ad unitatem veritatemque Ecclesiæ Catholice. Sine nihil esse Hæreticis convertendis, & supervacaneis disputationibus & contentionibus refecandis utilius, quàm exactè discernere dogmata Ecclesiæ Catholice à dogmatibus five sententiis parti-

particularium Auctorum, vel etiam Scholarum, notum est, & bene observavit Episcopus Meldensis in famosa illa ac probatissima nuper exhibita Fidei Expositione.

XII. Jam pridem Imperatores, ut normam & regulam seu typum fidei Catholice populis sibi subditis exponerent, eos nonnumquam ad fidem Illustrium Ecclesiarum & præcipuorum Episcoporum, qui tum in fide Catholica præcipuè eminebant, remiserunt; ut nimirum cum his in fide convenirent: ac una brevem formulam fidei, illi præcipuè hæresi, quæ tum exurgebat, oppositam proponerent.

XIII. Hoc consilio anno 380. Theodosius Imp. ut populos sibi subiectos contra hæresim Arianam muniret, & in fide Catholica firmaret, Rescripto suo significavit, se velle ut omnes subditi sui eam Religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset; & quam eo tempore Damasus Romanæ urbis Episcopus, ac Petrus Alexandrinus servarent. Utque eorum dumtaxat Ecclesia qui Divinam Trinitatem æquali honore colerent, Catholica nominaretur; qui verò aliter sentirent, Hæretici dicerentur, infamisque essent, seque scirent supplicio afficiendos.

XIV. Hæc Sozomenus lib. 7. Hist. Eccles. cap. 4. extatque ipsum Edictum in L. 1. Cod. De Fide Catholica his verbis expressum: Cum ceteros populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Majestate, & sub pia Trinitate credamus.

Edictum hoc recitans Baronius ad annum 380. vocat *ancientam Sanctionem*.

XV. Notatu dignum quod scribit Sozomenus, Theodosium ad hanc legem descendisse, cum apud se reputasset factus esse, ut suam de Divinitate sententiam ipse subditis suis palam prædicaret, ne vim inferre videretur, repente invitatus quid colendum esset præcipiendo.

Hoc exemplo ostenditur, populis prius clarè exponendum, quid credere oporteat, quàm eos ut Hæreticos insectari.

XVI. Theodosius igitur popalis non proponit tantum in generali fidem Catholice Ecclesiæ, sed primum eis exemplum Ecclesiæ Romanæ præferendum duxit his verbis: In tali volumus Religione versari, quam divinum Petrum tradidisse Romanis, Religio usque adhuc (vel ut in Codice Theodosiano legitur, usque nunc) ab ipso insinuata declarat. Quibus verbis non tantum Romanis semel traditam Religionem testatur, verum eandem ita traditam, ut deinceps ad hanc diem in tradita semel Religione persistiterit: id enim est quod indicat his verbis, usque nunc ab ipso insinuata declarat, quod traditum semel, deinceps in sinu custoditum habetur servaturque.

XVII. Et sanè ad Ecclesiam Romanam antiquitus remissos Fideles, ut ab ea fidem ab Apostolis traditam & conservatam acciperent, Patrum Scripta testantur. Et quidem S. Ireneus Lugdunensis Episcopus de ipsa Romana Ecclesia scribit: *Hujus exemplo pravam omnem disciplinam profugamus.* Rationem ipsam hoc Imperatorio Edicto expressam subiiciens lib. 3. adversus Hæreses cap. 5. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principatitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles; in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ ab Apostolis est traditio.

XVIII. Ad hæc proponit Theodosius, sequendum exemplum duorum Catholicorum Episcoporum; ac imprimis Damasii Romani Episcopi: *Quamque* (scilicet fidem) *Pontificem DAMASUM sequi claret.* Dein Petrum Alexandriæ Episcopum adjungit, eique copulat, *Virum Apostolica sanctitatis.*

Sanè sub idem tempus S. Hieronymus simili prorofus ratione & exemplo quo Theodosius in hoc Edicto, ad eorundem

Damasii & Petri fidem provocandum esse duxit, Epistola ad Marcum Presbyterum: Hæreticus (inquit) vocor prædicens, cum quosdam Trinitatem, Sabellianæ impietatis arguor, tres, subsistentes veras, integras, perfectasque Personas indefessâ voce pronuntians: si ab Arianis, merito: si ab Orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt, aut si iis placet, Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damasio Petroque condamnent. Quid unum hominem, exceptis sociis, criminantur?

Similia quæ morem antiquum provocandi ad fidem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ & Alexandrinæ probant, occurrunt apud Ambrosium, Rufinum, quin & Athanasium, uti ostendit Jacobus Gothofredus in notis ad L. 2. Cod. Theod. De Fide Cathol.

XIX. Eundem morem, scilicet ad exemplum Catholicorum Episcoporum provocandi, sequuti sunt Theodosius Junior in L. fin. Cod. Theod. De his qui super Religione contendunt, ubi provocat ad exemplum Arfacii Episcopi Constantinopolitani, Theophyli Episcopi Alexandrini, & Porphyrii Antiocheni, Reverendissimorum sacra legis Antistitum. Sequitur est Marcianus Imp. in L. 8. Cod. De Hæreticis, ubi ait: *Et sicut Athanasius, & Theophylus, & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ credebant.*

XX. Frequentissimum quoque fuit, ad Conciliorum præsertim generalium definitiones revocare; eosque pro Hæreticis declarare, qui hisce definitionibus acquiescere nolunt: quemadmodum de quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi diversis Sanctionibus (quæ habentur sub titulo Codicis De Fide Catholica) edixit Imperator Justinianus; & in Novella 131. cap. 1. de his quatuor Conciliis loquens ait: Prædictarum enim Synodorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus.

Novum ergo non est, quod vel ad Conciliorum Canones, certamve fidei formulam remittatur populus, ut iudicium Catholice Religionis, à quo deviare nefas sit, cognoscere queat; præsertim circa hæreses, à quibus maxime populo timendum, & ipsis Pastoribus præcipuè invigilandum.

XXI. Hoc consilio confecta & proposita formula, five professio fidei hodie usitatissima & frequentissima auctoritate Pii IV. Pontificis publicata, in qua speciatim fides Ecclesiæ Catholice exponitur contra hæreses tum præcipuè dominantes, additâ hæc generali clausula: Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Synodo Tridentina tradita, definita & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor.

XXII. Qui igitur à iudicio Catholice Religionis & tramite sic proposito detecti fuerint deviare, merito Arcadius Imp. in citata lege 28. eos Hæreticos accensendos declarat: hoc est, qui peculiarem sibi in rebus fidei viam muniunt, & alienam à iudicio Catholice Religionis & tramite sententiam proponunt, novoque tramite incidere volunt: five ut idem ipse Arcadius loquitur in l. 13. Cod. De Paganis: à Catholice Religionis dogmate deviare contendunt.

XXIII. Hæc autem loquendi formulâ fat innuit, non sufficere ad hæresim, simpliciter à iudicio Catholice Religionis & tramite deviare, sed requiri, ut deviare contendat, five quâdam animositate in iudicium oppositum feratur, five errorem tueatur *pervicaci animositate*; uti notat Glossâ ad L. 3. Cod. De Hæreticis.

XXIV. Et ut jam pridem rectè dixit Augustinus Epist. 43. Qui sententiam suam quamvis falsam atque perverfam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seditione atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quæ autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi. Apud Gratianum caus. 24. q. 3. Can. 29. ubi Glossâ notat, verbo *pernicaci*, licet ergo teneat aliquis

ea quae sunt contra fidem, dummodo paratus sit corrigi, non est habendus Haereticus.

XXV. Hac ratione Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Cap. 2. de Summa Trinitate damnatis opinionibus Abbas Joachim, ipsum nihilominus ab haeresi absolvit. „Cum omnia Scripta sua nobis (ait Innocentius III.) assignari mandaverit Apostolicae Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda. Hinc commune illud à Canonistis probatum axioma: *Non error, sed erroris pertinacia Haereticum facit.*

XXVI. Vult Arcadius in saepe citata Lege, eos pro haereticis habendos, non qui dicuntur aut accusantur à iudicio Catholicae religionis & tramite deviare; sed *detecti fuerint deviare*; hoc est, convicti & plene probati fuerint deviare; idque ad eum modum quo crimen probari debet, priusquam quis tamquam criminis auctor damnari possit; uti bene ostendit Jacobus Gothofredus ad citatam Legem 28. in Codice Theodosiano; probatque haec verba *Levi argumento* non posse accipi pro *levi* praesumptione, aut suspitione; quasi sufficeret *levi* probatio vel praesumptio aut suspicio, ut quis habeatur *haereticus*, & ut talis condemnatur: sed vocem *argumento* accipi hoc loco pro articulo dogmatico, sententiae Arcadii esse, eum pro haeretico habendum, qui in quocumque articulo, quantumvis *levi* ipsi videatur, à iudicio catholicae religionis & tramite deviare convictus fuerit: adeoque verba illa *Levi argumento* iungenda non esse cum voce *detecti*, sed cum verbo *deviare*; uti etiam probat Tuldeus in Codice h. t.

XXVII. Et sane cum crimen *haeresis* sit crimen enorme, & gravissimum annumeretur; ac insuper difficulter sciatur, quis haereticus sit censendus, indubie exacta & admodum clara probatio requirenda est, antequam quis de hoc crimine condemnetur; praesertim si de cetero inter Catholicos haecenus versetur, & Catholicam fidem publice profiteatur, & usque communioni adhaereat.

XXVIII. Scitur quam in iustis jam pridem etiam Sanctissimi & maxime orthodoxi Episcopi alique tamquam haeretici accusati fuerint; & quomodo etiam optimis quibusvis Principibus & Praelatis subreptum fuerit.

XXIX. Notum quomodo aliquando in S. Joannem Chrysostrum concitatus fuerit S. Epiphanius, ejusque contumaciam ac communionem detraxerit, eo quod nollet ipse Chrysostrum damnare ut haereticos, contra quos Epiphanius jam praeventus erat: cum Chrysostrum ante *causam cognitionem hac facere haudquaquam iustum esse duceret*, uti narrat Sozomenus lib. 8. Hist. Eccles. cap. 14.

XXX. Adhaec notat dignum, quod sequenti cap. 15. subiungit Sozomenus de Epiphano. Cum enim Ammonius & qui cum illo erant adissent Epiphanium, eique dixisset Ammonius: „Libenter equidem dicerem, utrum aliquando in discipulos aut in libros nostros incidis. Illo (Epiphano) negante, iterum quaesivit Ammonius: Unde ergo haereticos illos esse iudicasti, qui nullum habes argumentum, quo sententiam illorum possis convincere? Et cum Epiphanius diceret, id se auditu accepisse: nos vero, ait Ammonius, plane contrarium fecimus. Nam & discipulos tuos saepe numero vidimus, & libros perlegimus; ex quibus unus est qui Ancoratus inscribitur. Cumque multi vituperare te & tanquam haereticum calumniari vellent, nos pro parte, uti par erat, propugnāvimus, & causae tuae defensionem suscepimus. Proinde nec tu ex solo auditu absentes damnare debuisti, quos nequam tu ipse certis argumentis inductus conviceras; nec ejusmodi gratiam referre laudatoribus tuis.

Hac Sozomenus, qui addit: „Post haec Epiphanius lenius eos allocutus, tum quidem ab se dimisit.

XXXI. Interim ex hac historia patet, quomodo in hac haeresis accusatione obripi possit, si vagis & incertis accusationibus, & aliorum relationi aures praebentur: quia & similes accusationes tamen zelo fidei & religionis tegantur, non raro tamen ex quadam particulari accusantium in accusatos passione procedunt; quemadmodum verisimile est, Epiphanium

agnovisse, accusationes suscitatas in S. Chrysostrum ex singulari Theophili Alexandrini invidia processisse; ipsumque propterea Epiphanium relicta Constantinopoli Cyprum navigasse, uti notat Antonius Godeau Episcopus Vincienfis in sua Historia ad annum 402. cap. 6.

XXXII. Sollicitè ergo cavendum, ne quis de haeresi damnetur, aut ut haereticus habeatur, nisi à iudicio Catholicae religionis & tramite fuerit CONVICTUS deviare: uti loquitur Arcadius Imperator.

XXXIII. Hanc æquissimam iustissimamque regulam sequutus modernus Pontifex Innocentius XII. in Brevi ad Belgii Episcopos 6. Februarii 1694. ipsis, quantum in Domino potest, injungit. „Ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatio, ne & invidioso nomine Janfensini traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime confiterit, aliquam ex his Propositionibus docuisse aut tenuisse, nec quemquam sub hoc praetextu repelli ab officiis, muneribus, beneficiis, gradibus, ac concipiibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi *servato juris ordine*, eam poenam, quae vicis alioquin Catholicis gravissima est, commiserit *probatum* fuerit.

XXXIV. Porro quia nulla haeresis est, nullusque iudicari potest haereticus, nisi à iudicio Catholicae religionis, sive dogmate Ecclesiae cum pertinacia recedatur, hinc apud omnes in confesso est, crimen haeresis esse crimen Ecclesiasticum; ipsi quoque Episcopi de haeresi cognitionem primario competere; *Cum eorum sit ministeris de dogmatibus iudicare*, ait S. Ambrosius epist. 36.

XXXV. Huic Bonifacius VIII. in Cap. 18. De Haereticis in VI. prohibet districtius Potestatibus & Dominis temporalibus, & Rectoribus eorumdemque Officialibus, ne ipsi de hoc crimine (cum *merè sit Ecclesiasticum*) quoquo modo cognoscant vel iudicent.

XXXVI. Conformiter ad hunc textum, concordati Canonistarum sententia receptum est, hoc crimen merè esse Ecclesiasticum; ita ut tam contra laicos, quam Clericos iudex Ecclesiasticus privative ad iudicem saecularem cognoscatur, quemadmodum notavit Julius Clarus lib. 5. Sentent. Sc. Haeresis dicens: „crimen haeresis est merè Ecclesiasticum, & ideo ejus cognitio ad solos iudices Ecclesiasticos spectat, neque potest iudex laicus aliquo modo in eo se intromittere, & cum hac conclusione *transseunt omnes* indifferenter.

XXXVII. Concordata Brabantiae inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem tit. 9. art. 1. habent crimen haeresis pro merè Ecclesiastico, de quo *cognoscet solus Episcopus*; salva tamen (inquirunt) Principi apprehensione & detentione per sonarum de haeresi suspectarum, necnon annotatione, & confiscatione bonorum de haeresi condemnatorum. Ex quibus, bus Episcopus moderatas expensas habebit, si de crimine haeresis cognoverit, referata etiam eidem Principi punitione eorum, qui contra prohibitionem suam asserunt propositiones *jam ut* haereticas damnatas, aut quid aliud contra mandata, seu prohibitiones faciunt (ad juvandum negotium fidei) facta vel factas.

XXXVIII. In Gallia quoque crimen haeresis in quantum spectat deviationem à iudicio seu dogmate religionis Catholicae spectat ad iudicem Ecclesiasticum ex Ordinatione Henrici II. Regis Galliae de 30. Augusti 1542. art. 1. ubi quidem injungit iudicibus & Magistratibus laicis, ut conjunctim vel divisim cognoscant de materiis concernentibus factum haeresis; sed dumtaxat quantum ad informationem & decretum; cum obligatione eosdem tradendi iudici Ecclesiastico, ut hic de errore & haeresi iudicet. Verba Ordinationis sunt: *Ordonnons que nos Bailifs, Senesch, & Juges Presidiaux, leurs Lieutenans generaux & partic. cognosstront cumalativement & concurremment, ainsi que les cas sy offriront, des matieres concernans le fait d'heresie: à sçavoir quant à l'information & decret seulement, à la charge qu'apres avoir execute leur decret & interroge les personnes accusées de dits crimes, ils serent tenus rendre les personnes*

aux Juges d'Eglise pour cognosstre d'iceux crimes d'errent on heresie simple, procedant plus d'ignorance ou leur infirmité & fragilité humaine, legeres & lubricité de la langue de l'accusé, que de vraye malice ou volonté de se separer de l'union de l'Eglise. Id est: Mandamus, ut Praetores, Senescalli, & Iudices nostri Praesidiales, eorum seu Generales, seu Vicarii speciales, de materia causam haeresis concernente, prout se casus offeret, cumulatim & concurrenter cognoscant. Videlicet quoad investigationem & decretum dumtaxat: exinde vero post decreti executionem, & personarum de dictis criminibus accusatarum inquisitionem, teneantur eas Ecclesiasticis Iudicibus sistere, ut de iis criminibus erroris aut haeresis simpliciter cognoscant an magis ortae ex ignorantia infirmitateque ipsarum, & fragilitate humana, velitate & lubricitate linguae ipsius rei, quam ex mera malitia aut voluntate sese ab Ecclesiae unitate segregandi.

XXXIX. Adde de hac Ordinatione, quod si crimini haeresis conjunctum esset scandalum publicum, commotio popularis, seditio, aut aliud crimen seculum trahens offensam publicam, & consequenter casum privilegatum, tunc de crimine hoc debeat *conjunctim* per utrumque iudicem laicum & Ecclesiasticum cognosci. Tenor Ordinationis est: *Et ou avec le crime d'heresie y avroit scandale public, commotion populaire, sedition, ou autre crime emportant offense publique, & par consequent cas privilegé, en ce cas sera le proces fait par les Juges de l'Eglise & Royaux ensemblement. Et apres le delict commun jugé par le Juge Ecclesiastique, sera procedé au jugement du cas privilegé par nos Juges: à la charge aussi que s'il y avoit appel de leurs sentences, les appellations ressortiront en nostre Cour de Parlement.* Id est: Ubi vero crimini haeresis publicum scandalum jungeretur, commotio popularis, seditio, aliudve crimen publico injurium, & consequenter casus privilegiatus, tum per Iudices Ecclesiasticos & Regios conjunctim lis instaurabitur, delicto quoque communi per Iudicem Ecclesiasticum iudicatum, per Nostros Iudices ad iudicium Privilegiatum casus procedetur, sic ut si ab eorum sententia liceat provocare, teneantur dictas Provocationes ad supremam nostram Curiam referre.

XL. Non immerito sane hic distinguitur crimen haeresis, in quantum contrariatur fidei Catholicae, & in quantum scandalum publicum, commotionem populorum, seditioem, aliave similia Republicam & Ecclesiam turbantia inducit: ut scilicet iudicium de haeresi, quatenus contraria est dogmatibus fidei, deferatur Ecclesiae; in quantum vero populos turbat, & scandalum parit, coërcitioni Principum subdatur: ut scilicet Ecclesia de doctrina decernat: Principes vero eorumque Magistratus seu auctoritate haereticos jam declaratos compellant; ipsamque Republicam quietem & tranquillitatem procurent, & veritatem religionis declaratam teneantur.

XLI. Hinc omnes pristinae illae Christianorum & Catholicorum Principum Sanctiones, quae tum in Codice Theodosiano, tum Justiniano extant sub titulis De Fide Catholica, De Haereticis, aliisque affinis; quibus ea, quae ab Ecclesia definita sunt, proponunt, suam auctoritate muniant, & executioni mandari praecipunt; omniq; sollicitudine intendunt, ne quid contrarium iudicio Catholicae religionis irrepatur, aut quis à tramite Catholicae religionis deviet.

XLII. Hanc Principum sollicitudinem laudat S. Augustinus in epistola ad Bonifacium 185. docetque, officii Principis Christiani esse, haereticum à suis Regibus prodigare. „Quomodo (ait) Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quae contra iustitiam Domini fiunt, religiosè severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, et servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit legibus iustis praecipientibus, & contraria prohibentes, conventi vigore sanciendo.

Dein nonnullis interpositis pergit: „Quis mente sobrius Regibus dicat, nolite curare in regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive Religiosus,

Van Espen Jur. Eccl. P. 111.

sive Sacrilegus; quibus dici non potest, non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quam foeminam viro? Aut si ea, quae non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, minus vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt?

Fragmentum hujus sententiae S. Augustini refert Gratianus caus. 23. q. 4. Can. 42. ubi & plures Canones ex dictis Augustini in hanc rem referuntur.

XLIII. Ad coërcendos, quin & ad reducendos ad fidem Catholicam, aut etiam in fide Catholica populos retinendos, plures poenae jam pridem in haereticos à Principibus decretae fuerunt, uti videri potest in legibus sub titulis De Fide Catholica, item De Haereticis in Codice seu Theodosiano, seu Justiniano extantibus; ubi tamen advertere haereticos, graviores aut mitiores pro qualitate haeresis, & haereticorum perveracitiae & insolentiae esse decretas; Non enim omnes haeretici eadem austeritate plectendi sunt, ait Theodosius Imp. in L. 65. Cod. Theod. De Haereticis. De hac poenarum varietate pro haereticorum & haeresum varia conditione & perfidia vel pertinacia vide latè Paratilon Jacobi Gothofredi ad titulum De Haereticis in Codice Theodosiano; & Tuldeum ad eundem titulum Codicis Justiniani.

XLIV. Per inflictionem poenae temporalis coërceri haereticos, & ad Catholicam veritatem adigi probat & laudat S. Augustinus in allegata epistola ad Bonifacium. „Quonia (ait n. 7.) multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur; & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicitate liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestas, que sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in infania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur; & in te, sidos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pereant, excitantur.

Deinde multis ostendit, utile omnino esse, per terrorem poenarum homines ad veritatem duci, seu quasi compelli. „Multis enim (ait) profuit, prius timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Fateatur quidem, bonis & filiali affectu Deo adherentibus, quique recta fide, veroque intellectu, totis animae suae viribus dicunt: *Servit anima mea ad Deum vultum quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*: non solum temporalium poenarum, vel imperialis legum, sed ne gehennarum timorem necessarium esse: sed tamen, antequam dicant boni filii, *concupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo*, multi prius tamquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum temporalium flagellorum verbera revocantur.

Meminit quoque ibidem Augustinus vulgarissimè illius legis, quam Theodosius generaliter in omnes haereticos promulgavit; *ut quisquis eorum Episcopus vel Clericus ubi libet esset inventus, decem libris auri multaretur*; extatque in L. 21. Cod. Theod. De Haereticis.

Hanc legem arbitrabatur Augustinus cum nonnullis aliis Episcopis, esse restringendam ad eos haereticos seu Donatistas, in quorum regionibus aliquis violentias à Clericis vel à circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia Catholica pateretur; eamq; restrictionem ab Imperatoribus postulantem dixit; quod & à Concilio Episcoporum obtinuit; & Legati eum in finem ad Imperatorem missi sunt; sed nihil obtinuerunt; sed lex ipsa, instantibus Episcopis contrariae opinionis per Africam promulgata fuit, uti testatur Augustinus; qui & ibidem refert, multos ea occasione veritatem agnovisse, & ad Catholicam Ecclesiam rediisse. „Jam vero cum ipsa leges (ait n. 29.) venissent in Africam, praecipue illi, qui querebant occasionem, aut saviatiam furentium tuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt. Multi enim, qui solà illic à parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa haeresis haberet, nunquam antea cognoverant, numquam quaerere & considerare voluerant; mox

N n n

ubi